

sa & actione, quam quae in iudicium deducta eius-  
 que notioni subiecta est, cognitionem capiat ac iudicet,  
 etiamsi secum ipse reputauerit, subesse aliam iustam  
 causam, ex qua actor, si voluisset, actionem fundare,  
 &, quod sibi debetur, in iudicio persequi potuisset.  
 Enimuero aequitati naturali contrarium est, vt iudex  
*libelli formam*, quo factum proponitur, curiosius con-  
 sectetur, eumque, si quid circa eam neglectum sit,  
 tanquam ineptum reiiciat, vel nimia subtilitate &  
 scrupulositate *genus actionis* inuestiget, quandoqui-  
 dem qualiscunque facti narratio & petitio sufficere  
 potest, vt actori tribuatur, quod ex iusta causa in  
 iudicio persequitur, attamen cum de facti veritate,  
 quam solam iudex inspicere tenetur, aliter constare  
 nequit, quam quatenus de ea ex actis liquet, quip-  
 pe quae secundum veteres, tanquam vehiculum con-  
 sideranda sunt, quo iudex ad sententiam vehitur, fa-  
 cile est ad intelligendum, arbitrio iudicis minime o-  
 mnium relinquendum esse, vt vel ipse suggerendo  
 factum actorem adiuuet, aut contra huius intentio-  
 nem eam libelli interpretationem faciat, per quam ex  
 facto, quod ipsi contigisse videtur, actionem conse-  
 quatur & reus condemnetur, etiamsi ipse actor huic  
 facto contradixerit, & causam obligationis, cum acti-  
 one ex ea oriunda, expresse in actis negauerit, cum  
 sine dubio aequi limites migret, qui arbitrium suum  
 ultra acta propagat, vel, contra intentionem actoris  
 in actis manifeste declaratam, ex facto, quod hic ex-  
 pressis verbis negauit, aliquid supplet, quod ad *iura*  
*partium litigantium* pertinet, licet hoc ad actorem adiu-  
 uandum conducat, vt celerius, per condemnationem  
 rei ex alia causa, id consequatur, quod per actionem  
 in